Zeromski Vladislai: Tessera debitae gratitudinis – Simoni Koludzki, Praeposito Gnesnensi.

Crac. in off. typ. Martini Philipowski.

1638.

TESSERA
Debitæ Gratitudinis,

Perilluſtri & Admodum Rendiſſ: Domino

D. SIMONI KOŁUDZKI,
PRÆPOSITO GNESNENSI
Cuſtodi Płocenſi, Cracouienſi, Vladi-
ſlauienſi, Canonico, S. R. M.
Secretario.

Domino & Mæcenati Suo Maximo.

A

VLADISLAO ZEROMSKI
Camerarij Siradienſis filio: honoris
ergo, Oblata.

CRACOVIÆ,
In Officina Typograph: Martini Philipowski,
Anno Domini. M. DCXXXVIII.

ARMA DOMVS.



Colucius pietatis amans, meritis & abundans
Aras atq; focos protegit ingenio
Hoc Gens, hoc & Rostra viro, Patria, atq; Senatus
Gaudent: O Viuat sanus & incolumis.

Ioannes Zaleyski
Stud: Poëseos.



Tessera Gratitudinis.



MAgna semper ab ipsius mundi nascentis incunabulis, in præmium, vberrimumque fructum debetur laus virtuti: quæ etsi vniuersum studium Famæ in suo proprio candore, & probitate collocet, munitaque semper, ab omnibus non solum vitiis, sed alijs rebus aduersis sit, per omnesq; temporum Olimpiades, illæsa ac integra duret: nihilominus vt anima, dum corpus hoc inhabitat, cibi materialis subsidio indiget, non quidem propter seipsam, quæ cibo æthereo vescitur, sed vt sibi adiunctum corpus, rectius sustentetur: sic virtus quamuis debito fulgo-

 re,

re, ac pulchritudinis suæ ornamento, satis superq; abundet: vocis tamen non modo testimonio: verùm etiam litterarum præconio apud posteritatem celebrari vult. Etenim cum nullus stimulus virtuti maior sit, quàm ille laudis & gloriæ, qui gestis rebus aliorum prædicandis vel maximè admouetur: sanè vt mea fert opinio, aut nullo, aut hoc ipso solo, ad benè de alijs merendum homines excitantur. Quamobrem Perillustris & Admodum R.de Domine, cum virtus liberalitatis non vultu adscititio sed proprio & venusto, non ad tempus sumpto sed iure hæreditario obfirmata illoq; prouidentiæ cœlestis thesauro Domui tuæ a fonte & origine maximæ, a radice inclytæ collata, faciat, vt dum tanquam fons limpidissimus aquam beneficentiæ in me Parentemq; meum fundis, nullum ei aut excusationis, aut artis limum vis inspergi. Quidquid benignè aduersus nos facis, id

totum

totum vis fluere ex illo tui cordis fonte, qui irrigat, non nostræ solum fortunæ siccitatem, sed illum etiam Diæcesis Gnesnen: augustæ florem multis vberrimisq; beneuolentiæ, beneficentiæ, aliarumq; tuarum virtutum riuis, dignis perenni memoria, dignis ara immortalitatis. Ne ergo beneficia a fonte tuo in nos deriuata in pectoribus nostris limo ingratitudinis obruantur Tesseram grati animi ab oratore infante, a cliente verò gratissimo accipe, quæ pedestri sermone incedit. excusationem habet quidē illam, quia aut florum amænitate delectare, aut artis gemma inter picta prodesse debeat, robustioris ætatis conamini relinquit.

Atq; vt inde pandantur vela, Natales ex Illustri maiorum prosapiâ tibi contigisse, diuinæ est opis: si quantum ex re bellicâ dignitatis, quantum fortunarum sint consecuti, non vna orationis parte determinandum, sed inte-

gris voluminibus, plenisq; laudũ velis explican-
dum esset. Sunt qui pro salute, inuictissi-
morum Regum: sunt qui pro tutelâ finium
patriæ, ad internetionem hostium fidissima ar-
ma sumpserunt, meruerunt q; inseri summis
Equitum ordinibus, & multis ditionum lati-
fundijs velut præmio laborum cohonesta-
ri. Atq; hic quidem gloriæ tuæ campus licet
latissimus sit, & ad nominis posthumam memo-
riam retinendam satis superq; copiosus & suf-
ficiens, maiores ab auitâ paternaq; stirpe mul-
ta per sæcula, rei benè gerendæ habere, vir-
tutis auitæ hæredem famam retinere: tamen
nihil maius, nihil magnificentius, nihil de-
niq; gloriosius arbitratus es, nihil ad viuen-
dum illustrius, quàm proprio virtutum splen-
dore, famam & nominis immortalitatem quæ-
rere. Statuas & simulachra Tibi eiusmodi
relinquere decreuisti, quæ animi potius ima-
ginem quàm corporis lineamenta ostendant.

Nam

Nam si corporum simulachra, & effigies manu artificum factæ, Nobilium animos excitare solent, ad eorum imitationem: quorum illæ imagines sunt: quanto magis, id assequuntur, virtutum, & rerum gestarum monumenta, quæ mentem exprimunt, non autem corporis lineamenta formæque speciem. Has animi virtutisqꝫ imagines, à primis ætatis tuæ cunabulis, ipsisqꝫ (vt dicitur) crepundijs Perillustris & Admod: R͞de Domine præ oculis habuisti: efformasti tenellum intellectum ad quæuis sublimiora, animum pietate, quam lapidem angularem cæteris virtutibus superstruendis esse, nemo negauerit, imbuisti. Voluntatem legitimis cancellis moderationum ad virtutum amplexum, optimè perfecisti, præceptoribus ex virtutum harmonia ad vnguem compositis vsus es: idqꝫ non in vmbrâ & diuerticulo, ab hominum societate remoto: sed in palæstris Sarmatiæ nobilissimis

mis, concursui iuuentutis nobilitati destinatis, in quibus quantum libraris generosissimæ indolis tuæ vires, vt æquales omnes antecellueris, dicere sufficienter poterunt, qui fuerunt eius rei & spectatores, & admiratores. Ipse sanè euentus satis luculenter hoc depingit.

Quæ pueritiæ transactæ præconia, eadem adolescentiæ. Ita enim à primis ineuntis ætatis incunabulis vitam instituisti, vt concentum quendam actionum honestarum, quantum ætate suffragante liceret, induxisse videreris. Et quemadmodum Boleslaus Criuoustus, tanto desiderio patris tenebatur; vt diu sane lachrymis & fletibus non temperaret, gestabatq; de collo suspensam in pectus auream laminam, in qua nomen & imago patris insculpta erat, qua subinde memoriam sibi eius refricaret, & quidquid vel faceret, vel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia, & exaudiente patre. Ita sic Perillustris & Reueren-

rende Domine sculptam non iam in lamina, sed in animo imaginem Sanctissimæ memoriæ Parentis tui carissimi gestans, simulq; cogitans, te natum in Polonià, omnium celeberrima & copiosissima, plurimisq; & eruditissimis & fortissimis Viris affluenti, ex Antiquissima nobilissimaq; familia Cołuciorum, omnium dignitatum gradibus hic in patrio solo satis superq; perfuncta; nihil earum rerum prætermisisti, quibus non modo maioribus tuis (qui & honoribus, & rerum gestarum gloria semper maxime floruerunt) similis esses, sed etiam eorum memoriæ, laudibusq; maximam lucem adferres. Paucos reperias qui consilio se suaq; disponunt: Pleriq; dum vitæ instrumenta conquirunt, vitam transeunt, & eorum more, quæ fluminibus innatànt; feruntur non eunt. vt enim leuior vnda aliqua detinuit, ac melius vexit: quædam rapidiora cursu abrepta, quædam ad ripam impetu langue-

guescente, deposita videas, alia denique torrentis violentia directa in pelagus: sic & adolescentiæ mores, aut molliores, aut vehementiores impari conamine adhibita cura, & illecebra distinguit. Nihil in adolescentia tua speciosa libertatis nomina, nihil alea, nihil cerea & flexilis in vitium licentia sibi postularunt. Prudentiam pro Palladea lancea ad subigendas affectuum pugnas prima tibi charitum tribuit. Hæc tibi galea securitatis, hæc amplitudinis tyara, generositatis diadema, fortunarum custos, faustiore haud dubie progressu, quam aut Masinissæ præsidia, aut Danaes sepimenta, præstare potuerunt. Prudentiæ est quòd superbia indiscreta fælicium pedissequa procul abs te ire iussa: quod nihil fragili ostentationi, nihil ventosæ ambitioni, nihil tumidæ arrogantiæ relictũ. Eoque hoc decus est admirabilius, quo rarius: quippe aliorũ eâ scabie fortunarum laborat ingenium, vt quò potentia floreat ampliore,

re, eò ardentiore febri, & prurigine corripiatur insolescendi. Vix enim cuiquam contigit, & abundare fortuna, & indigere superbia. Hic vt semel blandissimo veneno, mentem relegata ratione, fascinauit, nihil superest, quàm vt se solum, supra cæteros mortales euectum, Dijsq; parem, & vt fortunæ indulgentiæ eminentem, sic animi bonis ferocientem ostendat, quorum tamen sæpe, nec vestigium, vel ipse Argus oculeus deprehenderit. Contra hunc lethalem morbum e diametro phalangem virtutum fortissimam posuisti, rationeq; ipsa tanquam auxiliarijs copijs cum impotentibus animi perduellionibus decertasti. Et vt perfectissimam virtutem possideres, Doctrinæ thesauris pectus instruxisti; & vt scires omnia, faceres optima, vnicam vitæ normam habuisti. Hinc quod rarissimum est videmus cælum sine nube, ignem sine fumo, lucem sine vmbrâ. Sequuntur & hanc fælicitatem animi mores, sermo cultus, o-

 ris

ris corporisq́; conformatio Heroica, cum digni-
tate venusta, cum maiestate blanda. vt paucis
dicam; in vultu tuo nobilitas relucet, & quid-
quid maiores fuêre; relucet virtus, & quid-
quid tibi vni debes; relucet doctrina, & quid-
quid industria magnitudini adiecit. Omitto
Generositatem animi, & simul modestiam,
prudentiam & candorem, solertiam & fidem
fortitudinem & humanitatem: quas omnes,
aliasq́; partim Nobilitatis, partim virtutis,
partim doctrinæ comites habes neq; iactas.
Vt pedissequæ aliorum syderum quædam stel-
læ sunt, quas curiosior, & intro adiecta aci-
es detegit: ita non omnia Heroicæ mentis
ornamenta in omnium statim oculos incur-
runt, sed quæsita & obseruata. Ad summam
igitur vt iutelligeres quis ipse esses, negotium
tibi cum Musis, & sapientià fuit; & vt esses,
quantum dare maiores potuêre spreta ignauiæ
dulcedine, & voluptatis illecebra, Hercu-
lis

lis podicij semitam, á primis statim annis ingressus es & calcasti. Quid ampliùs? in Collegium Cathedralis Ecclesiæ Gnesnen: virtutibus conspicuum adscitus non sub modio, sed in candelabrum, ab ipsa edoctus veritate, lucernam accensam posuisti, vt nemo sit, qui non lucem doctrinæ suæ videat, qui non religionis lumine, Te totum lucidum, totum illuminatum, nulla prorsus ex parte tenebrosum conspiciat. Velut enim ignis accensus, & inflammatus, hanc vim habet á natura sibi insitam, vt illustret eas terræ partes, lucis suæ claritate, quæ tenebris, & atra quadam caligine circumfusæ erant: Sic equidem Tu Perillustris Domine, Iesu Christi igne clarissime collucenti flagrans, lucem adtulisti eximiam & illustrem Areopago Sarmatico cuius Iudicijs ex Venerabili Capitulo Gnesnen: interfuisti. Desideria sua quilibet explicabat apud te, ceu ad aram iustitiæ incorruptæ: non

importuni ianitores obicem accessuris præcludebant: nec magis tua virtus afflictis solatium oppreſsisq; negare potuit, quam fons venutis scaturiginosis fæcundus aquam hausturis. Omnia pro naturâ tuâ benignè, pro ingenio prudenter, in æquiſsimo Tribunalitiorum Areopago agis: causam literarum ipso iudicio; Mineruæ sacra, in Saturniade. Curæ tibi in publicis curis, quidquid in otio meditaris, in lucē profers. Et cum Episcopatū Cracouien: absente Eminentiſsimo Cardinali cuius nunc anima in sedibus æthereis quiescit, tractasti, Sapiētiæ adhæsisti, cum subditos iudicasti, & liberalitat em Principis velut sanguinem vitamq; in omnia Reipub. deriuasti membra, Scholarum labores nō siuisti exarescere, Ingenia æstimasti, qui tum coluisti; Artes promousti, quas olim didicisti; virtutes foues, quas vitâ moribusq; exprèsſisti. Quantum Nobilitati ad ætatem artibus efformandam & imbuendam studeas, testis sum e-

go cui

go cui Tu Perillustris & Admodum R. nde Domine Auctor dux fuisti, ad honestissimarum artium telam in Academia Cracouiensi ordiundam. O virtutem cælo profectam, & ipsa varietate commendabilem! O fortunatos nimium Collegas Capitulorum! qui Te nunc velut præsens, & salutare numen venerantur, ac suspiciũt: Eius enim viri cupidine vehementiore sunt incensi, quo frequentiore actu conuincuntur, non saturari animum tuum potuisse acquisito prudentiæ thesauro, nisi eius in commune bonũ fructu collato. Binas iam coronas, consecratione Charitum tibi nexus explicui, prudentiæ videlicet & scientiæ: Tertia quæ morum est succedit. Magnum in his pondus. Ac vere marcida, addo & noxia est omnis prudentia scientiaq́, quæ exulat ab elegantia morum. Illius elegantiæ est, quod veneres, & lepores meliorum gentium in sermone & gestu solerter obseruasti, quod illas affectatas, & ridiculas morũ

 exo-

exoticorum ostentationes à consortio Tuo, segregatas esse voluisti, ciuilitatē vti par est virilem, non obnoxiam es amplexus; Morum & hæc sequela est, quòd asiduis exercitationibus, Reipub: vigorem laudabilis naturæ publicasti. Dulce est meminisse, quantam in causis diiudicandis molestiam tuleris, sudoremq; miscueris, quam continuatis & in se velut orbe redeuntibus negotijs fueris delectatus quâ de re silere malo, quam dicere, plura enim cumulare volentem pudor impedit. Portum nunc & nunc littus occupo; finioq; acclamatione breui quidem sed ex animo profecta.

Viuat Io, vigeatq; diu Perillustris & R.ndē Domine Virtus tua, sit honoribus locuples, sit successibus gloriosa, sit beatitudine immortalis, ingrediaturq; per sacrarium solennis honoris in fælicitatis illud æuiternum

DIXI.

